

Papae, & Episcopis, & eos officij sui in puritate doctrinae caelestis cognoscenda & asserenda monuerit: posterius est, quod uentrem monachis ademerit. Scripsit similem propemodum Historiam Henricus Sutphanus sanctus apud Ditmarsos Martyr, de Margaretha Belgarum gubernatrice, Maximiliani filia, quae cum sophistas Louanienses vehementer & atrociter Lutherum, ut perturbatorem totius Christianitatis accusantes, & diris deuouentes, interrogasset, quis nam ille esset Lutherus, & responsum accepisset, esse monachum planè rudem & indoctum in Saxonia, dicere cepit: Cur ergo vos tam docti & multi non potestis scribendo ueritatem, conuincere tam indoctum & quidem unum? certè maior fides habenda est multis doctis, si uera dicunt, quàm uni indocto, qui errat. Sed ad legatos Pontificios reuertamur. Hi cum nec apud Electorem Saxoniae, nec apud ipsum Imperatorem, nec apud Erasmus quidquam efficerent, & Alexander diceret, Lutherum etiam pecunia non posse corrumpi & molliri, & hanc bestiam non curare largitiones, alioqui dudum multa millia ei de uoluntate Papae per Fuggerum numeranda fuisse, indignatione commoti, libros Lutheri omnes colligunt, & pro auctoritate Pontificia, numerata Quaestoribus & praefectis pecunia, sine Imperatoris iussu, Colonia publice incendunt & exurunt. Idem faciunt Louanienses. Insidia quoque multis modis uita Lutheri

theri